



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 145. Vtrum Angeli possint transire de loco ad locum, non prius transeundo per medium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

tus iste non erit continuus: siquidem per eum non prius acquireret ynam partem loci, deinde aliam, sed simul acquireret omnes; ergo &c.

28. Ad 1. Respondeo primò cum Sancto Thoma in resp. ad 2. distinguo maiorem: motus, quo aliquid existens in potentia ad suam ultimam perfectionem, mouetur ad illam acquirendam, est actus imperfecti, concedo: motus, quo existens in actu, & habens suam ultimam perfectionem, mouetur, vt applicet suam virtutem actiuam alijs, est actus imperfecti, nego maiorem; & concedo minorem; ac nego consequentiam. Motus, quo aliquid existens in potentia ad suam ultimam perfectionem, mouetur ad illam acquirendam, est actus imperfecti: e. g. motus augmentationis, quo animalia, & plantæ nondum habentia debitam magnitudinem, mouentur ad illam acquirendam, est actus imperfecti. At motus, quo res iam habens suam ultimam perfectionem, mouetur ad illam communicandam alteri, est actus perfecti: e. g. motus, quo animalia iam perfecta mouentur ad generandum, est actus perfecti: motus, quo corpora coelestia iam perfecta mouentur circulariter, vt agant in corpora inferiora, est actus perfecti: sed angeli beati iam habentes ultimam perfectionem beatitudinis mouentur localiter, vt suam virtutem communicent, & applicent alijs rebus: ergo. Secundo responderi potest, concedo maiorem, & distinguo minorem: angeli beati non sunt transcendentaliter imperfecti imperfectione opposita vbiquitati, quæ imperfectio est cõmunis cuilibet creaturæ, nego: non sunt imperfecti in genere angeli, concedo: & nego consequentiam. Angeli etiam beati non sunt vbique, ideoque sunt imperfecti imperfectione opposita vbiquitati, adeoque possunt moueri ad loca, in quibus non sunt: solus Deus, quia est vbique, non potest moueri ad vllum locum. Ex proportionali ratione Deus, quia scit omnia, non potest quicquam discere, nec moueri motu discendi: Angeli etiam beati, quia non sciunt omnia, possunt moueri motu, quo discant quæ ante nesciebant.

29. Ad 2. distinguo maiorem: quidquid mouetur, vt acquirat perfectionem, quæ caret, mouetur propter indigentiam, concedo: quidquid mouetur, vt applicet alijs suam virtutem actiuam, mouetur propter indigentiam, nego maiorem; concedo minorem; & nego consequentiam. Sicut corpora coelestia, quia mouentur circulariter, vt applicent suam virtutem actiuam inferioribus, non mouentur propter indigentiam, sic angeli. Addo, quod Angeli etiam beati, cum non sint vbique, habent quamdam indigentiam transcendentelem, propter quam debent posse se per motum applicare successiuè pluribus locis.

30. Ad 3. respondeo cum Sancto Thoma in responsione ad 1. distinguo maiorem: nulum indiuisibile, & partibus carens potest, si oc-

cupet locum diuisibilem, moueri motu continuo, nego: si non occupet locum, diuisibilem, transeat: distinguo eodem pacto minorem: & nego consequentiam. Primò indiuisibile occupans locum diuisibilem, vel potens illum occupare, potest moueri motu continuo, vt cum Sancto Thoma probatum est num. 25. & 26. sed angelus ita est indiuisibilis, vt occupet locum diuisibilem, vt dictum est quæst. 141. num. 11. ergo. Secundo indiuisibile potest saltem moueri motu non continuo, quo simul acquirat totum locum, ad quem mouetur. Ad do, quod Scotus in 2. dist. 2. qu. 9. docet contra Aristotelem, quod etiam punctum quantitatum, si posset esse separatim à partibus diuisibilibus, moueri posset motu continuo.

31. Ad 4. August. lib. de Gen. ad litt. cap. 20. & 26. dicens creaturam corpoream moueri per loca, & tempora, spiritualement verò solum per tempora, negat solum angelum moueri per loca ad modum corporum motu quantitativo, non autem negat moueri motu purè intelligibili.

32. Ad 5. concedo, quod dum aliquid mouetur motu continuo, partim est in termino à quo, partim in termino ad quem, ita vt sit in parte termini à quo & in parte termini ad quem, vt ex Sancto Thoma explicatum est num. 26. sed angeli possunt ita moueri, vt dum mouentur, sint in parte termini à quo, & in parte termini ad quem, vt dictum est ibidem: ergo angeli possunt moueri motu continuo.

33. Ad 6. Principium illud, omne, quod mouetur, ab alio mouetur, non debet ita intelligi, vt negetur aliquid posse esse causa partialis sui motus, sed solum vt negetur posse esse causa totalis: ergo angelus potest se ita mouere, vt sit causa secunda sui motus, concurrente causa prima, quæ est vbique. Addo, quod etiam si in eo, quod se mouet, deberet dari aliquod principium actiuum motus distinctum à subiecto motus, cum angelus se moueat per intellectum, & voluntatem, intellectio, & volitio, quæ est quoddam principium mouens localiter, distinguitur ab ipsa substantia Angelici, quæ est subiectum recipiens motum.

QVAESTIO CXLV.

Virum Angeli possint transire de loco ad locum, non prius transendo per medium?

S. Th. qu. 53. art. 2.

1. **V**identur angeli non posse transire de loco ad locum, absque eo quod prius transcant per medium. Corpora enim non possunt transire à loco ad locum, quin prius transcant per medium: ergo neque angeli.

2. Secundo angelus non potest naturali virtute efficere aliquid contra ordinem vniuersi

uersi: sed ordo vniuersi sicut postulat, vt nulla actio propagetur ab extremo ad extremum, absque eo quod propagetur per medium sic postulat, vt motus non sit ab extremo ad extremum, nisi per medium: ergo.

3. Tercio si angelus posset moueri ab extremo ad extremum, non transeundo per medium, posset ex coelo empyreo descendere in terram, non transeundo per loca media: sed hoc est contra communem sensum, & repugnat limitationi angelorum: ergo.

4. Quarto angelus dum est in termino *ad quem*, non amplius mouetur, sed iam est motus: dum est in termino *a quo*, nondum mouetur, sed mouebitur: sed dum mouetur, alicubi est: ergo cum dum mouetur, nec sit in termino *a quo*, nec in termino *ad quem*, est in medio, ac proinde prius, quam perueniat ad terminum *ad quem*, transit per medium.

5. Respondeo plures esse sententias. Prima, quam Suarius lib. 4. de angelis, cap. 18. tribuit Sancto Thomae hoc artic. 2. quaest. 53. Caietan. in Comment. Capreolo in 2. distinct. 6. quaest. 1. art. 1. concl. 3. Carthusiano, Marsilio, & alijs, docet angelum posse ex vno loco transire ad alium, absque eo quod transeat per medium, puta posse angelum ex coelo empyreo descendere in terram, non transeundo per loca media. Hanc opinionem sequitur Vasq. 1. p. disp. 196. cap. 2.

6. Secunda sententia, quam idem Suar. cap. 19. dicit esse communioem inter antiquos Theologos, & quam tribuit Alexandro de Alef. 2. par. quaest. 33. Memb. 2. Sancto Bonauent. in 1. dist. 37. par. 2. dist. art. 2. quaest. 2. Alberto Ibidem art. 23. Aegid. in 2. par. dist. art. 2. Scoto in 2. dist. 2. quaest. 12. Gabrieli, & alijs, docet Angelum non posse transire de loco ad locum, nisi transeundo per medium. Hanc sententiam, vt probabilioem sequitur Suarius, licet fateatur contrariam etiam sententiam, esse probabilem.

7. Pro resolutione debet aduerti, quaestionem posse habere duplicem sensum. Primus sensus est, vtrum Angelus possit transire a loco ad locum, absque eo quod prius transeat per medium. Secundus est, vtrum Angelus possit transire ex loco ad locum, absque eo quod vel prius transeat per medium, vel simul occupet medium. Explicatur. Ponamus, quod angelus occupet locum centumpalmarum. Primo possumus quaerere, an possit transire ad locum distantem quinquaginta palmis, absque eo quod prius transeat per quadraginta nouem palmos intermedios, ita vt prius occupet primum palmum propinquum priori loco, deinde occupet secundum, mox tertium, & sic deinceps, donec perueniat ad palmum quinquagesimum. Secundo possumus quaerere, vtrum possit transire ad palmum quinquagesimum, non solum non prius transeundo per quadraginta nouem palmos intermedios, sed non simul occupando quadraginta nouem palmos intermedios, ita vt perueniat ad palmum

quinquagesimum distantem, illamque occupet, absque eo quod neque prius, neque simul occupet quadraginta nouem palmos intermedios.

8. Hoc supposito, pono tres conclusiones, quas existimo esse Sancti Thomae hoc art. 2. quaest. 57. Prima conclusio est: si angelus moueatur motu continuo, non potest transire ex vno extremo ad aliud, quin prius transeat per medium: e. g. si angelus occupet locum centumpalmarum, non potest motu continuo moueri ad locum distantem quinquaginta palmis, quin prius transeat per quadraginta nouem palmos intermedios.

9. Probat primò Sanctus Thomas ex ipsa definitione medij. Ex Aristotele enim 5. Physicæ t. 52. & 6. Physicæ t. 77. medium est, in quod prius venit, quod continuè mutatur, quam in quod mutatur vltimum; ergo si Angelus continuè mouetur, prius perueniat ad locum medium, quam ad extremum.

10. Probat secundò. Vt enim docet Aristoteles 4. Physicæ t. 99. ordo prioris, & posterioris in motu continuo est secundum ordinem prioris, & posterioris in magnitudine, ita vt prius mobile per continuum motum occupet primam partem magnitudinis, ac loci, deinde occupet posteriorem partem magnitudinis, ac loci: ergo angelus, dum mouetur motu continuo, prius transit per medium, quam perueniat ad extremum.

11. Secunda conclusio est: si angelus mouetur motu non continuo (supponimus autem ex dictis quaest. 144. num. 23. angelum posse etiam moueri motu non continuo) potest transire ab extremo ad extremum, non prius pertransito medio.

Probat, & explicatur. Ponamus, quod angelus occupet spatium decem palmarum. Potest sine inconuenienti per motu non continuum relinquere totum spatium decem palmarum, & acquirere simul totum spatium æquale proximum decem palmarum: sed in hoc casu transibit ad occupandum decimum palmum talis spatij, absque eo quod prius transeat per mouem palmos intermedios: ergo transibit ab extremo ad extremum, absque eo quod prius transeat per medium.

12. Probat secundò ex S. Thoma. Vt enim supponimus ex Physica, & explicauimus quaest. 38. 39. 40. & 41. Physicæ, inter duo loca corporea distantia mediât infinitæ partes diuisibiles, saltè potentiales, & infinita puncta indiuisibilia, saltè potentialia: ergo si angelus, dum ab vno loco mouetur ad alium locum distantem motu non continuo, deberet prius transire per omnia loca media, deberet prius transire per infinitas partes diuisibiles, & per infinita puncta indiuisibilia: sed est impossibile transire infinitas partes diuisibiles, & infinita puncta, successive transeundo vnum post aliud, nisi tempore continente proportionally infinitas partes diuisibiles, & infinita instantia indiuisibilia: ergo deberet pertransire infini-

infinita media, infinitis partibus temporis, ac partibus motus ordinatis secundum prius, & posterius, secundum ordinem partium temporis, ac spatij; sed motus constans ex partibus ordinatis secundum prius, & posterius, secundum partes temporis, ac spatij, eo ipso est continuus; ergo mobile, si ut transeat ab extremo ad extremum, debet prius transire omnia media, quæ sunt infinita, debet moveri motu continuo, ac proinde si moveatur motu non continuo ab extremo ad extremum, impossibile est, ut prius transeat per omnia media.

13. Superest quæstio, utrum licet Angelus ad hoc, ut moveatur ab vno loco distante ad alium motu non continuo, non debeat prius transire omnia media, debeat saltem simul occupare omnia media; an possit transire ab vno loco distante ad alium, absque eo quod neque prius transeat per medium, neque simul occupet medium?

14. Tertia ergo conclusio, qua respondetur quæstioni propositæ, est: angelus etiam motu non continuo non potest transire ab vno loco ad alium distantem, nisi vel prius transeat per medium, vel simul occupet locum medium.

Probat: nam ex dictis quæst. 140. num. 6. angelus propter suam limitationem non potest naturaliter se constituere in loco maiori, & maiori in infinitum; non potest se mouere velocius, & velocius in infinitum; non potest operari in distantiam maiorem, & maiorem in infinitum; ergo ex eadem limitatione non potest statim, ac summa quadam velocitate se ab vno loco transferre ad locum distantem, & distantem in infinitum: sed si posset se mouere ab vno loco ad alium, absque eo, quod vel prius, vel simul occuparet locum medium, posset se statim mouere ad locum distantem, & distantem in infinitum: ergo.

15. Potest dici, quod angelus ex sua limitatione habet sphaeram sui motus, ita ut non possit se mouere, occupando medium, nisi ad tantam distantiam.

16. Sed contra: nam si concedatur, quod angelus propter suam limitationem non possit immediate post vnam vibrationem producere aliam, nisi cum determinata distantia, potius dici debet, quod non potest immediate producere aliam, nisi propinquam, & quodammodo tangentem, licet angelus perfectior possit producere vibrationem maiorem, qua perveniat ad locum distantem, angelus minus perfectus vibrationem minorem, qua perveniat ad locum minus distantem.

17. Confirmatur: nam angelus ex sua limitatione non potest propagare suam actionem ad locum distantem, nisi propaget per medium; ergo non potest se mouere ad locum distantem, nisi occupet medium.

18. Addo primo, quod Sanctus Thomas hoc ait. 2. quæst. 57. loquens de angelo docet, quod possibile est, quod pertranseat de vno extremo in aliud, non pertransito medio: sed non docet pos-

sibile esse, ut pertranseat de vno extremo in aliud, non simul occupato medio. Transire enim medio pertransito significat prioritatem transitus per medium, antequam perveniatur ad extremum, cum ly pertransito medio, sit participium temporis præteriti; ergo sensus illorum verborum est, quod angelus per motum continuum non potest transire ab extremo ad extremum, nisi prius pertransito medio; per motum non continuum potest pertransire ab extremo ad extremum, non prius pertransito medio, quod totum nos concedimus.

19. Confirmatur: nam in eo sensu Sanctus Thomas affirmat angelum posse motu non continuo transire ab extremo ad extremum, non pertransito medio, in quo negat angelum posse motu continuo transire ab extremo ad extremum, non pertransito medio: sed S. Thomas negat angelum motu continuo posse pertransire ab extremo ad extremum, non prius pertransito medio; ergo affirmat angelum motu non continuo posse transire ab extremo ad extremum, non prius pertransito medio, quod ultro concedimus. Probat minor ex verbis Sancti Thomæ, & ex ratione, quam affert pro sua conclusione. Dicit enim: *Motus localis Angeli potest esse continuus, & non continuus: si ergo sit continuus, non potest Angelus moveri de vno extremo in alterum, quin transeat per medium, quia ut dicitur in 6. Phys. medium est, in quod prius venit, quod continuè mutatur, quam in quod mutatur ultimum; ergo manifestè negat angelum motu continuo posse moveri de vno extremo in alterum, quin prius transeat per medium. Idem probat ex ipsa definitione, quæ medium dicitur, id ad quod motu continuo prius pervenitur, quam in extremum: ergo dum affirmat, quod motu non continuo potest angelus moveri ab extremo ad extremum, non pertransito medio, affirmat solum, quod potest, non prius pertransito medio, at non affirmat, quod potest, non simul occupato medio. Confirmatur: nam Sanctus Thomas probat angelum posse motu non continuo pertransire ab extremo ad extremum, non pertransito medio, ex eo, quia alioquin deberet pertransire infinita media, quæ non possunt pertransiri, nisi infinitis partibus temporis, ac proinde motu continuo; sed infinita media non possunt pertransiri nisi infinitis partibus temporis continui, si debeant ita pertransiri, ut vnum medium pertranseat post aliud; si autem simul occupetur locus extremus, & omnia infinita media, nulla in hoc est impossibilitas: ergo ratio, qua S. Thomas probat angelum motu non continuo non posse pertransire infinita media, probat solum non posse prius pertransire infinita media, transeundo vnum medium post aliud: ergo S. Thomas docet solum motu non continuo posse angelum moveri ab extremo ad extremum, non prius pertransito medio, at non asserit posse angelum moveri ab extremo ad extremum, non simul occupato medio.*

20. Ad 1. Concedo antecedens, & nego consequentiam. Corpora commensurantur locis, in quibus sunt, iisque continentur, ita ut una pars corporis sit in una parte loci, alia in alia parte loci. At angeli non commensurantur locis, in quibus sunt, nec locis continentur, sed continent loca, siquidem angelus indivisibilis occupat locum divisibilem, illumque continet, cum sit totus in toto, & totus in qualibet parte loci. Proportionaliter motus corporis debet commensurari loco, ita ut corpus per motum prius occupet priorem, & propinquiorem partem loci, deinde posteriorem. At motus angeli non debet commensurari loco, sed potest angelus ita moveri, ut non prius, sed simul occupet priorem, & propinquiorem, ac posteriorem, & distantior partem loci, ut explicatum est n. 11. & 12.

21. Ad 2. Concedo maiorem, & distinguo minorem: ordo uniuersi postulat in omnibus, ut actio non propagetur ab extremo ad extremum, absque eo quod prius tempore propagetur per medium, nego: absque eo quod vel prius, vel simul tempore propagetur per medium, concedo; & distingo eodem pacto consequens. Ordo uniuersi postulat quidem, ut actio non propagetur ab extremo ad extremum, absque eo quod prius, vel simul tempore propagetur per medium, at non postulat, ut qualibet actio prius tempore propagetur per medium: de facto enim actio illuminatiua non prius, sed simul tempore propagatur per medium, & peruenit ad extremum: ergo proportionaliter ordo uniuersi postulat quidem, ut mobile non transeat ab extremo ad extremum, nisi prius, vel simul transeat medium, occupando omnia loca intermedia, sed non postulat, ut quodlibet mobile prius tempore occupet medium, quam perueniat ad extremum. Ratio, quare corpora debeant prius peruenire ad medium, quam ad extremum, spiritus autem, siue angeli possint non prius, sed simul tempore occupare medium, ac extremum, allata est in resp. ad 1. num. 20.

22. Ad 3. nego sequelam. Angelus potest moveri ab extremo ad extremum, non prius, sed simul occupando medium, cum naturali virtute potest occupare simul totum medium. Cum autem medium est tantæ magnitudinis, ut angelus non possit simul occupare totum medium, debet prius occupare unam partem medij, quam aliam. E. g. si angelus posset simul occupare spatium centum palmorum, sed non maiorem, posset moveri ad palmum centesimum, non prius, sed simul occupando 99. palmos intermedios, at non posset moveri ad palmum ducentiesimum, nisi prius, perueniret ad palmum centesimum: alioquin simul occuparet spatium ducentorum palmorum, quod supponitur esse supra naturalem virtutem talis angeli; sed angelus non potest simul occupare totum spatium à cælo empyreo ad terram; ergo non potest à cælo empyreo descendere ad terram, nisi prius transeat per me-

diūm. Quia verò angeli perfectiores possunt naturaliter occupare loca maiora, quam imperfectiores, ideo possunt ab uno loco transire ad alium locum distantiorē, non prius transiendo per medium, ad quem angeli imperfectiores naturali virtute transire nequeunt, non prius pertransito medio.

23. Ad 4. distingo maiorem: Angelus, dum est in termino *ad quem*, ita ut immediatē ante non fuerit in termino *ad quem*, sed in termino *à quo*, non mouetur motu non continuo, nego; dum est in termino *ad quem*, ita ut immediatē etiam ante fuerit in termino *ad quem*, non mouetur, sed est motus, concedo. Moueri motu non continuo ad aliquem terminum est primò esse id eo termino, ita ut immediatē ante mobile non fuerit in eo termino, sed in termino *à quo*: ergo cum angelus, qui immediatē ante non erat in hoc spatio bipalmari e. g. sed in spatio proximo, primò est in tali spatio bipalmari, mouetur motu non continuo ad tale spatium, & primò est motus ad tale spatium. Nec repugnat, quod aliquid, dum mouetur motu non continuo, sit etiam, primo motum: imò moueri motu non continuo includit primò esse motum, ut docet Sanctus Thomas in hoc art. in resp. ad 3. e. g. aer dum illuminatur, primò est illuminatus. At quod mouetur motu continuo, priusquam sit motum, & sit in termino *ad quem*, mouetur, & transit per medium, & tunc est in parte termini *à quo*, & in parte termini *ad quem*, ut magis explicatum est quæst. 144. num. 26., & 32. in resp. ad 3.

QVÆSTIO CXLVI.

Utrum Angelus possit localiter moveri, non solum in tempore diuisibili, sed etiam in instanti indiuisibili?

S. Tho. q. 53. art. 3.

1. **V**idetur angelus posse moveri in instanti indiuisibili: primò quia mutatio, quæ fit tota simul, necessariò fit in instanti indiuisibili; sed angelus, si vult, potest motu non continuo mutare totum locum simul, relinquendo simul totum locum, in quo antea erat, & acquirendo locum proximum, ut dictum est quæst. 145. num. 11. ergo angelus potest moveri, & mutare locum in instanti indiuisibili.

2. Secundo angelus, qui toto aliquo tempore fuit in aliquo loco, in eoque quieuit, in instanti indiuisibili sequente immediatē post illud tempus potest pro libito relinquere illum locum, & se constituere in loco proximo: sed cum primò se constituit in loco proximo, relicto loco priori, in quo ante quiescebat, mouetur: ergo potest angelus moveri in instanti indiuisibili.

3. Ter: